

einzelne verzeihelt 4. III. 1915

Silvest. theol. Vol. 35

~~S. 111.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CISIDCCCXIII.



4.

Ex
Philologicis
DISPUTATIONEM PUBLICAM

De
NOMINE DEI
TETRAGRAM-
MATO



In
Almo ad Albim Athenæo,
PRÆSIDE

Viro Clarissimo,

M. GEORGIO CASP. KIRCHMAIERO,

*Dn. Fautore, Studiorumq; Promotore
etatem colendo,*

placidæ Eruditorum ventilationi submittit.

AUT. & RESPONDENS

GEORGIUS SÖHNLINUS,

Rotenburgo - Tuberanus
Francus.

Ad diem XVII. Martii.

Hor. locq; solit.

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.
Anno M DC LX.



IN NOMINE DEI

TERRA GRAM

MALO



ALFONSO ALONSO ALONSO

PRINCE

M. G. ... HALLER

GEORGE ...

...

...

...





בשם יהוה אלהינו :

Quanquàm à veritatis tramite haud recedant, quì vulgò dicunt: Deum & esse, & dici ἀνώουον, omni nomine destitutum, quippe qui immensus est, & infinitus, adeoq; nec ullis verbis exprimi posse nec ullà cogitatione comprehendi nihilo tamen minus quadam ei nomina imponi & solere, & actu in sacris pandectis pariter, ac aliis profanis scriptis ipsi assignari res ipsa loquitur. Inter illa autem nomina ipsa, quorum (testis est Cl. Bohemus in serm. suo de hoc nomine.) Hieronymus in epist. 136. ad Marc. Tom. 4. f. 14. decem, Galatinus l. 2. c. 17. Septuaginta & duo commemorat, magnum illud, sacratissimum, & ineffabile nomen יהוה meritò primas tenet, tenuitq; haecenus semper. Et quidem haud abs re. Cum enim reliqua, universa & singula, ab effectis partim, partim ab attributis Dei deducta nomina sint, perq; quandam vocis analogiam creaturis etiam communia, solum hoc essentiale, Deoq; soli proprium vocari gaudet. Haud itaq; rem nauici facturum me existimo, si de sacrosanctà hac voce brevem considerationem instituerò. Sit igitur, quod felix, faustumq; Deus esse jubeat, thesis

I. Nomen Jehovah, ut à παρωουία ordiamur, sicuti non planè omnis originis expers, sive ipsam Dei naturam, & infinitam ejus essentiam, sive nostram in concipiendo Deo, & iis, quae Dei sunt, imbecillitatem, & ignorantiam prætendas, dici vel potest, vel debet: sed omninò distinguenda à se invicem sunt, & accuratè discernenda significatio hujus vocis formalis, quàm ipsa infinita Dei indigitatur essentia, & sine insigni absurditate aliunde derivari nequit à significatione materiali, quàm nuda consideratur vox ex certis literis, & syllabis conflata, & hac ratione certam ejus originem dari, ipsæ sacrae literæ, ut infra patebit, satis clarè ostendunt. Ita in ipsà vocis hujus radice evolvendâ, & investigandâ cautè procedendum vel maximè est, nequis scilicet in scyllam incidat, cupiens vitare Charybim.

A 2

II. Hiero-

II. Hieronymus, ille ab Oleastro, radicem נֹו nominis Jehovah dicit esse foemininum illud נֹו , quod perniciem, interitum, & quodlibet accidens malum significat. Ita enim in comm. ad c. 2. Gen. f. 7. col. 3. disferit: ego video, inquit, in radice (havah) duo esse, scilicet (havah) quod est, esse, & (hovah) quod secundum Hebraeos est accidens, aut eventus malus, & cum (hovah) majorem similitudinem habeat cum (Jehovah) quam (havah) puta melius derivari ab (hovah) quam ab (havah.)

III. Hæc sententia, tamen ob absurditatem, quæ in Deum hoc pacto cadit, & sententiæ novitatem, quæ in limine statim rem, nisi firmissimis fulciatur rationibus, suspectam reddit, contemptum potius, quam longiorem mereatur refutationem: nihilominus tamen, in allegata ejus verba inquirere, eademq; brevibus quidem, examinare placet. Urget autem majorem נֹו Jehovah cum hovah, quam cum havah convenientiam. Hæc ejus ratio, maxima, minima. Quam ut profligatam reddamus, notamus (1) in inquirendâ vocis etymologiâ non tam respiciendum esse ad externum literarum sonum, quam ad internam vocis ipsius significationem. Ultrò largimur, maximum נֹו נֹו cum nomine נֹו , si nudum, & externum literarum sonum perpendas, intercedere consensum: verum an in internâ quoq; significatione convenient, constanter negamus. Etenim נֹו נֹו perniciem; nomen autem נֹו ipsam Dei essentiam denotat. Quis autem tam pertinacis erit ingenii, qui Deo nostro gloriosissimo essentiam à perniciæ deductam vellet tribuere. Notamus (2) aliud esse, considerare Deum ratione suæ essentiæ, aliud contemplari eundem in relatione ad creaturam. Multa quidem tum in ipsis sacris literis tum ab Autoribus ecclesiasticis Deo, extra essentiam sive relativè spectato tribuuntur prædicata, quæ tamen eidem in essentiâ suâ considerato ascribenda nequaquam sunt. Sic e. g. sæpius dicitur ignis consumens, non quasi in se, & in naturâ suâ ignis consumens esset, sed quia ab hominibus per peccatum ad tantam iram irriatur, ut nō possit non gravissimè in eorundem malitiam animadvertere, & in modum ignis homines peccato contaminatos

con.

consumere. Notamus (3) ipsam vocem יהוה non esse primitivam, sed derivatam. Unde omnino illi rectius videntur consuleri derivationi, qui ad ipsam radicem statim se accingunt.

IV. Alii, & plurimi quidem sacratissima hujus vocis radicem constituunt יהוה, vel יהוה. Et convenientissime omnium. Utrumque enim essendi significationem obtinet: יהוה autem & ipsum nomen est aeternae, ac immutabilis Dei essentiae, adeoque haecenus concinne quoad ipsum internum vocis sensum conveniunt. Accedit externa, & pulcherrima litterarum harmonia, in radice יהוה praerimis, dummodo Jod reliquis literis more nominum priorum praefigatur. In vocula quidem יהוה litterarum quaedam discrepantia externe apparet, verum cum facilis sit apud Hebraeos, & frequentissima litterarum unius organi, gutturalium imprimis, permutatio, illa tanti esse non potest, quomodo minus ipsa vox radicem יהוה Jehovahi constituere queat. Praesertim cum ipse Spiritus sanctus digito quasi nobis illam ostendat Ex. 3. 14. יהוה אלהי אשכנז אשור ארץ מצרים: Qui locus infra explicandus erit, & a corruptelis Adversariorum vindicandus.

V. Synonyma, seu potius elogia, quibus hoc nomen condecorare solent, varia quidem prostant: nos potiora recensebimus. Communiter salutari consuevit ὄνομα τετραγράμματον, nomen quatuor litterarum: non ac si solum hoc nomen quadriliterum esset, siquidem etiam in יהוה אלהי אלהים & אלהים totidem deprehendamus literas; sed ita dicitur καὶ ἐξοχόν, quia ceteris Dei nominibus omnibus excellentius est, veluti tropica haec, & synecdochica loquendi formula alias etiam usu recepta est, ut cum Paulus per quandam excellentiam simpliciter, & absolute vocatur Apostolus; Virgilius, Poeta; Cicero, Orator &c. In sacris literis nonnunquam illud indigitatur simplici nomine יהוה, & cum praefixo ה emphatico יהוה Lev. 24. v. 11. item יהוה El. 26. v. 4. quod contractum Dei nomen est, asserente Celeber. Dilberro l. 2. elect. c. 20. p. 296.

VI. Apud Graecos Patres, & alios passim salutatur ὄνομα ἁγίασμα, ἁγίασμα, ἁφρασον, ἀπόρητον, ῥηθηναι μὴ δυνάμενον &c.

Existimant enim illi cum profanis Judæis, & aliis plurimis, nomen hoc à nemine pio, Deiq; metuente sine impietate, & summâ tanti nominis profanatione pronuciari vel posse, vel debere. Hinc sicubi in sacro codice nomen hoc occurrit, constanter pro eo legunt יהוה: sin accidat, ut immediatè nomen יהוה vel præcedat, vel sequatur, tunc ne bis cogantur dicere יהוה, יהוה, pronuciare solent יהוה & sic etiam puncta יהוה יהוה nomini huic substernunt hoc modo: יהוה. Et adeò quidem hæc succrevit *Θαυματολογία*, ut nonnulli à nominis hujus scriptione etiam abhorreant, & τὸ ἰνομα πρῶτα γράμματων modò in τριγράμματων (') modò in διγράμματων (") convertere soleant.

VII. Quanquàm autem Adversarii in hoc omnes conveniant, quòd nomen hoc non sit pronuciandum, in aliis tamen circumstantiis etiam discrepant. Alii enim oppugnant τὸ θεμισόν, quòd nomen hoc pronuciari licuerit: alii τὸ δυνατόν, quòd legi potuerit: alii τὸ εἰσθεός, quòd genuina ejus lectio veteribus quoq; innotuerit, & per proprias tam vocales, quàm consonantes actu illud pronuciarint. De singulis dispiciendum breviter.

II X. Primùm quemlibet religiosum, piùmq; hominem sine ullâ conscientiae læsione nomen hoc expressè pronuciare posse sequentia evincunt argumenta; Primum deduci posse arbitramur ex ipsâ scripturâ sacrâ. Nimirum: *quicquid Deus nobis in verbo suo patefecit, 2. ipse fecit, & 3. piis faciendum præcepit, illud non potest non esse licitum, & salvâ conscientiâ à quolibet pio, Deiq; cultore exprimi. At nomen Jehovah Deus nobis revelavit, ipse primus pronuciavit, & aliis etiam pronuciandum mandavit. Ergo pronuciatio istius nominis non potest non esse licita & à quolibet pio exprimi. Major immotæ est veritatis. Illud enim solùm illicitum est, & per consequens etiam fugiendum, quod recedit à lege, & voluntate divinâ. Tantùm autem abest, ut externa hujus vocis recitatio repugnet voluntati divinæ, ut potius perquàm concinnè cùm eadem conveniat, & ex adverso disconveniat planè superstitiosa illa de non legendo hoc vocabulo, imaginatio.*

IX.Mi-

IX. Minor unice probanda incumbit. Probatur autem
 (1) quoad ipsam Dei revelationem ex loco illo classico, & pro-
 pria nominis hujus sede quæ habetur Ex. 3. v. 13. seqq. Ex quo loco
 duo primaria elici possunt argumenta, quorum alterum peti-
 tum est ex Moysi interrogatione: *ecce ego vadam ad filios Israel,
 & dicam eis: Deus Patrum vestrorum misit me ad vos, si dixerint
 mihi: quod est nomen ejus? quid dicam eis?* Ubi sanè Moses
 non querit de nomine ἀνευφωνήτω, sed de nomine dicendo, in-
 dicando, & effando Israelitis. Ut intactam relinquam, quam
 vulgò adducunt Cabbalam ex verbis: לַיְמֵה-שְׁמוֹ מֵרָאִי ex
 quarum dictionum literis posterioribus colligitur hoc ipsum
 nomen יְהוָה V. Cl. Bohem. l. c. Alterum ex ipsius Dei respon-
 sione: *Dixit Deus ad Moysen: ego sum, qui sum, sic dices filiis Israel
 Jehovah, s. Dominus Deus Patrum vestrorum & c. misit me ad vos.*
 In quibus verbis Moysi Deus primùm quidem occultè responde-
 bat: אֲנִי הוּא אֲנִי אֲנִי, ero, qui ero, vel sum, qui sum,
 quæ verba nonnulli præludium hujus nominis dicunt. In vo-
 ce enim אֲנִי הוּא tanquam in radice suâ occulta, & abscondita
 jacet ipsum nomen Jehovah, quod Deus statim verò v. 15. subjicit,
 inquit; hæc dices filiis Israel יְהוָה אֱלֹהֵי אֲבוֹתֵיכֶם,
Jehovah, s. Dominus Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. Et
 addit. זֶה שְׁמִי לְעֹלָם, *hoc est nomen meum in aeternum, hoc
 est, quo nominabunt me in aeternum.* His verbis quid clariùs?
 quid dilucidius? Detegenda hîc insimul est fraus Adversario-
 rum, qui pro לְעֹלָם legunt לְעַלְמֵי, ad abscondendum,
 vel ut abscondatur: verùm contra claram voculæ hujus pun-
 ctationem, interpretumq; versionem. V. Pl. Rev. Fesfel. l. 1. adv.
 sacr. c. 17. p. 81. & Cl. Bohem. l. c. (2) ex expreso, & sapienter repe-
 tito Dei præcepto. Semel enim atq; iterum Moysi præcepit, ut
 hoc suum nomen pronunciatet, filiis Israel annunciatet, & in-
 super curaret, ut & ipsi Israelitæ tam in suis juramentis Deut. 6.
 v. 13. c. 10. v. 8. tum in suis ad Deum effusis precibus illud adhibe-
 rent. Hæc quæso omnia quomodo fieri possent, si nomen il-
 lud esset ἀπαγορευτὸν, & pronuntiatio illicitum.

X. Alte-

X. Alterum argumentum suppeditat ipsa voculæ hujus conditio. Et enim si illa, fatentibus ipsis Adversariis, sine impietate & calamo potest pingi, & ore etiam, ac linguâ separatim יֵהוָה, הוֹהוּ, הוֹהוּ vah pronuntiarî, quidni etiam conjunctim? Ita enim infero: *cujuscunq; vocis scriptio, & seorsim per syllabas instituta lectio non est prohibita, illa ipsa vox conjunctim quoq; pronuntiarî potest.* At nomen Jehovah &c. Ergo Minor ex jam dictis satis constat. Major probatur, quia omnis scriptura fit, & suscipitur propter lectionem. *Si igitur scripturam non statuunt esse impossibilem, aut prohibitam, cur lectionem talem esse comminiscuntur? si seorsim nominari, calamo formari, & expressè legi hoc nomen potest quid prohiberet, quò minus nobiliori modo & ore, & linguâ hominis formentur junctim? verba sunt Pl. Rev. Fesfel. l.c.*

XI. Omnino autem hîc ab usu abusum separandum esse, & segregandum existimamus. Culpabilis ut sic loquar hic; laudabilis ille: usum abusus non tollit, commune dicitur proverbium. Alias enim ne minima quidem vocula in sacris bibliis contenta, esset pronuncianda, nihil in toto hoc universo usurpandum, cum omnibus, maleferiati abuti soleant homines. Unum E. G. adducimus nomen יֵשׁוּעַ, Jesu. Quantus, quæso, hujus tam sacratissimæ vocis abusus. Tantus certè, ut & ipsa lingua eloqui illum deficiat, adeo altas ille radices egit, ut & ipsi incantatores, & viva Diaboli mancipia in carminibus suis magicis ad majorem hominum illusionem, nomen hoc adhibeant. Anne verò ob tantum abusum usum hujus nominis tollendum quoq; censes? Anne propterea in nostris precibus, & rebus sacris usurpatio ejus omnimodè intermittenda? Cave dicas. Tantùm abest, ut vel hujus, vel illius (Jehovah) usum propter abusum abrogandum esse statuamus, ut potius depresso, & exterminato hoc illum magis, magisq; restaurandum, explicandum, renovandum esse dicamus. Cæterùm locus ille Lev. 24. v. 16. ab adversâ parte in contrarium allatus nos non ferit. Vocem enim יֵהוָה ibi non nudum hujus nominis expressionem, sed talem prononciationem, quæ cum expressâ blasphemîâ, & maledictione conjuncta est, designare, tûm verbum subsequens וַיִּקְלַל, &

¶ *maledixit*, tūm unanimis versionum consensus satis clarè ostendunt. V. Pl. Rev. & Excel. Dn. D. Calov. Tom. 2. Syst. Theol. c. 2. sect. 2. q. 4. p. 155. Cl. Fessel. l. c.

VII. Progrediendum nunc, & examinanda illorum etiam est sententia, qui oppugnant hujus nominis ἰδὲ *δυναμειον*, & asserunt, ejus puncta non esse nativa & propria, sed aliena, & vel à nomine *אדני*, vel ab *אלהים* mutuata, veluti teste Magnif. Dn. D. Calov. l. c. p. 154. præter Judæos hanc quoq; sententiam defendunt nonnulli ex Reformatis Buxtorfius, Drusius, Amama Alstedius, Beza alii. Palmarium eorum argumentum desumptum est ex Apoc. 19. v. 12. *habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse*. Verùm aspiciatur solummodò contextus, & spontè suà corruet vis argumenti. Non enim denegat nobis D. Johannes (1) externam divini nominis expressionem, & recitationem, sed internam ejusdem *ἐμνησίαν*, & interpretationem: nec (2) aliqualem, ænigmaticam, & divinitus revelatam cognitionem, sed plenariam illam, & perfectissimam, quali solus Christus sesor super eqvum album v. 11. gaudet, notitiam & comprehensionem, ita ut sit sensus, quòd nulla creatura, ne Angeli quidem, tantâ perfectione, quantâ Filius Dei, hoc est, ex se, absolutissimè & penitissimè hoc cognoscere queant nomen, cū Deus infinitus sit, & omnia, quæ in eo sint, imperscrutabilia, & incomprehensibilia sint.

XIII. Fulcimenta, quibus præeunte Cl. Spenglero in miscell. misc. 1. corroboranda nostra erit assertio, sunt sequentia. Primum petitum est ex punctorum vocalium cum consonantibus collatione: *quicquid ad constituendam rei essentiam necessariò requiritur, illud ab eâ divelli non potest. At puncta vocalia ad constituendam vocis essentiam requiruntur, si non semper quoad scripturam, ad minimum tamen quoad pronunciationem.* Ergo ab illa divelli nullo modo possunt. Major, utpote ab omnibus concessa, probatione non indiget. Minor exinde patescit, quia puncta vocalia in constituendis vocibus ita habent ad consonas, ut anima in constituendo homine ad corpus. Sunt enim consonantes per se *ἀφωοι*, & non nisi accessione punctorum vocalium, quæ propterea *φωνηεντα* vocantur, *σύνφωοι* fiunt. Sicut

B

igitur

igitur sine animâ homo homo esse, proindeq; illa, salvâ homi-
nis essentiâ, ab homine abesse nequit: ita & vocales, ad consti-
tuendam linguam requiruntur, ut potior lingvæ pars, sine quâ
lingua esse nequit.

XIV. Secundum ex requisitorum illarum vocum, quæ
aliter leguntur, ac scriptæ sunt, denegatione: *Ubicunq; vox aliter
debet legi quam secundum subscriptas vocales, ibi requiritur, tum ut
ipsa vox insignita sit circello Masoratico, tum ut in margine alia ad-
scripta vox sit, cum additâ simul litera p, vel toto vocabulo י״פ,
quod est lege. At posterius de nomine Jehovah asseri nequit. Ergo
nec prius. Minor firmissima. Et enim ne semel quidem in
toto sacro codice notula illa Masorethica ad vocem Jehovah
posita, aut alia verior, & melior lectio in matgine adjecta repe-
ritur, quod utiq; fieri debuisset, si nomen hoc aliter, ac externa
præ se fert scriptio, legendum esset.*

XV. Tertium ex eadem omnium vocum conditione: *sic
omnis vox significativa regulariter, & ex Dei ordinatione proprias
obtinere vocales, illæ etiam nomini Jehovah deneganda non erunt.
At verum prius. Ergo & posterius. Consequens est clarum,
procedit enim à genere, ad speciem.*

XVI. Nequaquam autem hæc cum nonnullis sentiendum
est, ac si puncta & nominis Jehovah nativa, quibus primitus ve-
stitum est, à Judæis corrupta essent, & hodieâ nobis planè igno-
rentur. Repugnat enim huic asserioni (1) summa summi Dei
in conservando verbo suo providentia, quæ tanta est, ut etiam,
donec prætereat cælum, & terra, *יִוְרָא עֵבֶר, הַ מִּיָּא נֶעְרָא*, jota
unum, aut unus apex non præterierit ex lege, quoad omnia fa-
cta fuerint, velut ipse Christus Matth. 5. v. 10. loquitur. (2) sum-
ma Judæorum utpote quibus commissa sunt oracula Dei Rom. 3.
v. 2. circa voces biblicas custodiendas diligentia, ita ut uno mu-
tato puncto totam dictionem mutari existimarint, & verè existi-
marunt. Quod si igitur hoc circa omnes voces promiscuè fe-
cisse eos constat, multò magis eadem de iis industria circa sacra-
tissimi nominis hujus custodiam deprædicanda erit. (3) Fomen-
tum hæc sententia subministrat blasphemio illi Pontificiorum
dogmati, quo non tantùm res ipsas, sed & plurimas voces corru-
ptionem passas esse falsò garrunt.

XVII. Cùm

XVII. Cùm autem, qui contrariam fovent sententiam, provocare semper soleant ad sententiæ suæ antiquitatem, nostræq; novitatem, jactitantes, nomen hoc à nemine unquam, ne ab Apostolis quidem, per multa secula, incarnationem Christi tam antecedentia, quam consequentia usq; ad Petrum Galatinum, qui superiori seculo sub imperio Maximiliani I. vixisse creditur, pronunciatum esse: videndum quoq; erit, num ita sese res habeat. Ante omnia autem distinguendum hîc est (1) inter Judæos, & Christianos (2) inter Judæos qui vixerunt vel ante, vel post Simeonem, Justum, quem vulgò eundem cùm eo esse putant, qui Christum infantem sinu excepit: (3) inter pium aliquem Zelum, & impiam, ac superstitiosam aliquam imaginationem. Certo certius est, ac indubitatum prorsus, nomen hoc expressum esse ante Simeonem Justum tùm in piorum, Moïsis, Davidis, Jeremiæ, Danielis, aliorumq; orationibus scriptis tùm in solennibus benedictionibus quoq;: interim tamen verisimile fortasse videri poterat, veteres Judæos, ex pio quodam motos Zelo domi suos liberos ita informasse, ut pro Jehovak legerent Adonai, ne scilicet nomen hoc ex crebrâ lectione ab iis vilius haberetur, & in profanum sumeretur. Et hoc certè improbari adeò in iis non posset, nisi abusus inde exortus accessisset. Factum enim est, ut Judæorum posterì, quod in juventute suâ ex bonâ Parentum intentione didicerant, illud in senectute postmodum tanquam necessarium quid haberent, & ita à nominis hujus recitatione planè abstinere, adeò ut mortuo Simeone Justo, ipsi etiam Sacerdotes insolennibus benedictionibus illud non amplius adhiberent, sed cessante genuinâ tetragrammati pronunciatione populo benedicerent per alia fortè nomina, quorum aliud ex.12. aliud ex.42. compositum erat literis V. Joh. Terent. in serm. philol. de nom. tetragram. p.47. seqq. Quæ ejus hîc loci sententia est.

XIIX. Christianos quod concernit, quod ex iis quidam, ut Græci Patres, & alii nomen hoc ἀπὸν dixerint, factum id est itidem ex pio quodam Zelo, ne nomen hoc crebrâ lectione profanaretur, quemadmodum & nos hodiè salvificum nomen Jesu non nisi in rebus seriis pronunciamus, & in exprimendo nume-

ro quindenario ad vitandam aliquam profanationem à conjunctione numeri denarii, & quinarii abstinemus, & illum reddimus per numerum novenarium, & senarium hoc modo V° : non verò ex alià aliquà superstitione, ac si nomen hoc prorsus ineffabile esset, veluti hoc patescit ex Pagnino, qui referente Cl. Bobemo l.c. in thes. p. 921. ita inquit: quidam, quod non displicet, ineffabile dictum putant, non quod omninò non possit, aut debeat efferi, sed quòd cum sit sacro sanctum, assumi temere non debeat ore, vel scripturà in rebus. Unde & ab eo hominibus imponendo abstinuerunt, ne crebrà appellatione profanaretur.

XIX. Apostolorum hanc de re assertio ex eo colligi non potest, quod cum LXX. Interpretibus reddiderint X° . Expresserunt enim illi hoc nomen non sicut debuerunt, sed prout potuerunt, veluti & B. noster Lutuerus vertit per voculà J° qui tamen nullo modo vanæ Judæorum subscripsit sententiæ. Hinc differentiæ causâ voculam illam J° majusculis pingit literis, quando in fonte est יהוה illud nomen Jehovah: minusculis J° quando Adonai, veluti hoc accuratè observavit B. D. Försterus in disp. de יהוה אלהים Anno 1608. hinc loci habitâ c.1. th. XVII. Et hæcenus de pronunciatione.

XX. Restat, ut evolvamus quoq; vocis hujus significationem, quâ est, & dicitur nomen Dei essentiali, soli; Deo proprium; Ubi in limine statim turpissimè se produnt ex alterâ quidem parte Crellius Photinianus l. de Deo, & attributis divinis c. XI. p. 75 qui nomen hoc nihil aliud, quàm realem promissionum divinarum impletionem, aut implendi potentiam importare contendit. Sed perperam! Etenim (1) concessio hoc sequeretur, nomen hoc non esse ampliùs nomen soli Deo proprium, sed commune quoddam prædicatum tum Deo, tum creaturis, cum etiam apud has valeat vulgare illud: omne promissum cadit in debitum. (2) E diametro hæc contrariatur sententia Moisis interrogantis Isopo Ex. 3. qui sanè non erat, quærere tam de promissionum divinarum adimpletionem, quàm de proprio, & essentiali Dei mittentis nomine, quo annunciato filii Israel possent Deum cognoscere, & à reliquis Diis falsis discernere (3) Distin-

distiguendum quoq; hic est inter ipsam, immediatam vocis hu-
 jus significationem, & ejus, quod exinde sequitur, consequens.
 Nomen יְהוָה, descendens ab יָהוּ, quod est esse immedia-
 te, primario, & ratione ipsius significationis ipsissimam, ac æter-
 nam Dei essentiam denotat, adeoq; merito etiam nomen Dei
 essentielle nuncupatur: secundario verò, & per consequens de-
 mum Dei immutabilitatem, & mediante hoc realem promissio-
 num divinarum tum veracitatem, tum potentiam inferre.
 Atq; hoc pacto Grellius si intelligeret, litem ei non moveremus,
 præsertim cum quadam loca in sacrâ scripturâ occurrant, in
 quibus vox hæc non nisi de divinarum promissionum impletio-
 ne explicari vel potest, vel debet, e. g. Ex. 6. v. 3. ubi Deus inquit:
 apparui Abrahamo, Isaac, & Jacobo in nomine יהוה hoc est,
 Dei fortis, atq; omnipotentis, sed nomen meum יהוה non
 indicavi eis. Ex quo loco nonnulli evincere volunt, quasi no-
 men hoc patriarchis ante Moysen profus non innotuerit: nos
 verò distinctè respondemus, & dicimus, quòd nomen hoc ipsis
 partim fuerit cognitum, partim incognitum: cognitum, si
 consideres cognitionem *Ἰεωαελουήν*; incognitum, si *πεαελουήν*.
 Hinc rectè phrasin illam: non innotui illis in nomine Jehovah:
 explicat Terent. l. c. p. 27. *non innotui, ait illis, hoc est, nondum sa-
 tis feci promissioni meæ, quod ut efficiam, nunc demum cognoscetis
 vim hujus nominis, videlicet, liquebit vobis, atq; universis gentibus
 palàm fiet, me non solum *ἔντα*, sed etiam *ἑσθῆρα* atq; *ἑσποπόιον*
 esse. Quod enim promisi, quod mihi factu possibile, atq; decorum
 esse Patribus vestris Abrahamo, Isaac, & Jacobo declaravi, jam
 tandem faciam, ut impleatur, atq; ut ex istat prestabo.* Hæc ille.

XXI. Ex alterâ verò parte Enjedinus in explic. loc. D. T.
 p. 25. reliquiq; Photinianorum ordini addicti, quos longâ serie
 adducit Pl. Rev. Dn. D. Calov, l. c. q. 6. p. 159. qui dicere non du-
 bitant, esse hoc nomen non soli Deo proprium, sed commune
 etiam rebus tam animatis, quàm inanimatis. Verùm destitu-
 ta hæc eorum est asseritio omni sacræ scripturæ fundamento.
 Loca enim illa, quæ ipsorum iudicio & Jehovah de creaturis et-
 iam prædicari inuunt, impertinenter, & violenter adducta


omnia sunt. Agitur enim in illis vel expressè de Angelo illo
in creato, qui est ipse Filius Dei, adeoq; meritò etiam nomen Je-
hovæ attribui ipsi potest: vel si de creaturis sit sermo, & in titu-
lis pura pura creaturæ mentio fiat Jehovæ, semper tales limita-
tiones, aut in circumstantiis contextus tales explicationes ad-
duntur, quibus nomen Jehovæ illis ipsis creaturis prorsus dene-
gatur.

XXII. Nos breviter probamus, quòd nomen hoc Jeho-
væ(1) sit nomen, ipsam æternam, ac immutabilem Dei essentiam
exprimens, tum ex vocis hujus derivatione. Descendit enim
à Rad. יהוה, quod est esse. Sicut autem radix; ita & nomina
inde deducta essentia significationem habebunt: Tum ex
vocis explicatione, quæ habetur loco sæpius citato Ex. 3.
אני הוה אשכנח, sum, qui sum, quod nemo de se dicere
potest, nisi solus Deus, qui semper est idem, & omnia reliqua,
quæ fuerunt, sunt, & erunt, ab eo suum esse habent. Tum per
Cabbalæ quandam speciem. Gerere enim dicunt hanc vocem
tribus prioribus literis trium temporum notas, ipsam quidem
præformativam literam Jod futuri indicem esse, & Vau cholem
benoni, seu præsentis temporis יהוה indicium, & demum
Kametz præteriti notam. Vel ut alii paulò aliter eam recensent,
cum dicunt: הוה primum esse pro Benoni יהוה, הוה ultimum
pro præterito יהוה, & Vau pro inseparabili copulâ, Jod de-
niq; pro futuro יהוה. Quæ Cabbala, tametsi rem apodicti-
cè & infallibiliter non demonstrat, erudita tamen, & fidei ana-
logiæ conformis cum sit, remq; jam antea fulcimentis suis stabi-
litam valdè illustret, rejicienda non omninò est, præprimis, cum
in ipsis sacris literis, ut Apoc. I. v. 4. $\theta \acute{\alpha} \nu, \kappa \alpha \iota \theta \acute{\iota} \nu, \kappa \alpha \iota \theta \acute{\epsilon} \rho \chi \acute{o} \mu \epsilon \nu$, & alibi sæpius fundata esse videatur.

XXIII. (2) Probamus quod sit nomen soli Deo proprium,
tum in genere, quod sit nomen proprium. Etenim induit illud
omnem naturam nominis proprii. Formatur enim à R. יהוה
per adjectionem literæ Jod, quod plerumq; nominibus propriis
præfigitur, ut videre est in ציחק, יעקב &c. caret itidem plu-
rali numero, non ponitur in regimine, nec admittit He empha-
ticum,

ticum, & quæ cætera sunt nominum propriorum requisita. In specie, quod sit nomen soli Deo proprium probamus (1) quia est nomen essentialè Dei. Sicut autem essentia Dei incommunicabilis est, ita & nomina exinde deducta. (2) quia ipse Deus hoc nomen tanquam proprium sibi appropriavit Ex. 3. v. 14. c. 6. v. 3. Es. 42. v. 8. (3) quia sancti homines Deum nomine isto, cum proprio compellarunt, & (4) in specie ex 1. Reg. 18. v. 21. ubi quæstio erat, num Jehovah, an verò Baal sit Deus? ibi sicut nomine Baal designatur idolum, hoc ipso nomine tum ab aliis idolis, tum ab ipso verò Deo distinctum: ita etiam nomine Jehovah unum verum Deum designare voluit Elias, quo ipso nomine non tam à Baal, quam reliquis idolis distinguatur.

XXIV. Et hæc sufficiant dixisse breviter de sacratissimo, mirabili, essentiali, ac soli Deo Triuni proprio nomine Jehovah, cui sit laus, & gloria, & honor in sempiterna secula.



Sanctus Labor, de Nomine JHOVÆ piis
 Meditationes instituire cum piis,
 SÖHNLINEN, quod dum publicâ solers facis
 Hac disputatione, rem dignam piâ
 Indolè tuâ doctâq; facis. Ego gratulor
 Tibi de tuis profectibus, quos optimus
 Profliget in laudabiles Ecclesiæ
 Usus tuosq; maximos, ipsum precor.

CONSTANTINUS Ziegler
 S.S. Th.Lic.Phys.P.P. & h.t. Decanus.

Ad Præstantissimum Humanissimumq;

DN. RESPONDENTEM,

Amicum perdilectum.

Ingenium solers, studium sine fine colendi
 Humanas artes, miror Amice tuum.

Perge



*Perge igitur SÖHNLEIN mihi dilectissime multo,
Nam tua sedulitas te super astra vehet.
Nomen in omen abit, SÖHNLINUS honorat JÖVAM,
Jovæq; SÖHNLINUM maximo honore colet.*

Gratulabundâ mente manuq;

PRÆSES.

Ad Præstantiss.

Dn. RESP. matruelem dilectiss.

Vulgus humi repit, paucis datur altiùs ire;
Tu cathedram scandis corpore, mente polum.

Ευφροσύνας ἔβρανα αὐτοχρῆδ.

M. J. L. HARTMANNUS.

**Georgius Söhnlein, Rotemburgensis Francus, S.S. Theo-
logiæ & Philologiæ Studiosus.**

ἀναγεγραμμένος.

**Is rector poli gloriosi! Age, ejus nomen studere gnavus,
hostes fuga, telis longis obes.**

Invicem sibi potentes
Inferunt cruenta bella
Nominis pro gloriâ,
Quæ tamen fugax, inanis,
Mortuoq; Rege nomen
Incipit vilescere:
Rectius nos dimicare
Edoces, amice chare,
Numinis pro nomine.

**En age studere gnavus
Nomen, ejus, gloriosi
Rectoris poli, soli:
Et fuga procul hujus hostes,
Sumis argumenta, longis
Quæ velut telis obes.
Firma sunt satis, superq;
Non habent, quod his reponant,
Victor ergo gaudeas.**

amicitiæ ergo scrib.

**GEORGIUS LEONHARTUS MARTIUS,
Francus.**



Aug VI 15


ULB Halle 3
003 865 746


Sb.

Reho
VD 17
KD 18
Z







B.I.G.

Farbkarte #13

4.

ogicis
EM PUBLICAM

NE DEI

GRAM-
TO



n Athenæo,
IDE
isimo,

P. KIRCHMAIERO,

rumq₃ Promotore

lendo,
tilationi submittit
PONDENS

ÖHNLINUS,
Tuberanus

is.
I. Martii.
solit.

ERI, Academ. Typogr.
DG LX.

